...inale).

Pomorski Stanislai Quaestio de transactione in criminalibus.

~~2612 [illegible].~~

QVÆSTIO
DE TRANSACTIONE
IN CRIMINALIBVS.

Ad c. Ex parte

EXT. DE TRANSACTIONIBVS

Iuncta L. Transigere, C. Cod.

QVAM

Præsidente Admodùm Reueren. & Clariss. D.

SEBASTIANO KRVPKA,

I. V. Doctore & Professore Canonico Crac: Præpo. Wielicen.

Pro obtinenda prima in Vtroq; Iure laurea ad disputandum publicè proponet:

M. STANISLAVS POMORSKI,

Senior Contubernij Iuristarum.


In Collegio P. D. Iurisperitorum, Anno Domini, 1619. die 7. Mensis Februarij. hora xiiij.

CRACOVIÆ,

Typis Basilij Skalski.

CC.

In Armá
Admodum Reuerendi Domini
JOANNIS ZERZYNSKI, &c. &c.



Zerzenij campus generis ſplendeſcit amœnis
Floribus hîc redolet relligonis honor:
Hîc roſa iuſtitiæ rubet, hîc prudentia rerum
Albeſcit, multos conſilioq; iuuat.
Forte viret pectus patrio floreſcit in orbe
Aurea temperies, omnia pulchra vides.
Ergo quid? ob tales flores virtutis honeſtæ
Zerzinij æterno campus honore micet.

ADMODVM REVEREN: DOMINO,

D. IOANNI ZERZYNSKI,

CANONICO VICARIOQVE IN SPIritualibus, & Officiali Generali Cracouien: &c. &c. Domino & Mecœnati obseruandissimo.

NEmo est in studijs Iuris & Legum tàm imperitus ac rudis, tàm à bonis moribus rectoq; iudicio alienus, qui non facile intelligat imò non palam fateatur inter cætera Iuris remedia, Rebuspub. tuendis & conseruandis salutaria, adinuentum esse remedium Transactionis, quo plerumq; & cætus hominum, tanquam iucundissimo antidoto, facilius quàm strepitu Iudiciario, pœnisq; infligendis in officio retinetur: & Reipub. salus, dignitas, tranquillitas ac fælicitas in componendis litibus, quàm fouendis ac propagandis, tanquam in certissima & tutissima basi consistit: omnisq; magistratus felicior ac laudabilior reputatur, si domi forisq; reddat homines promptiores ad componendum, quàm contendendum. Deniq; quod primo loco dicẽdum erat, qlibet Principum Epaminundæ illi Thebanorum Duci, vel potius sum̃o rerum omnium moderatori, similis redditur, q exercitum suum, vel Rempub. fidei suæ com̃issam ac concreditam, manus cum hostibus, necessitate ita efflagitante, intrepidè conserens, absq; cruenta pugna victoriam obtinuerit. Ideò Tibi ADMODVM RE-

VEREN. ET ILLVSTRIS D. *in quo mirificus virtutum fulgor, iudicium de reb. incorruptum, & nunc in causis negotiorum spiritualium, quibus dextrè præsides & antea in Tribunalib. Regni huius inclyti, dum toties Iudicem agebas conspicuum, venerandáq; authoritas singulari humanitate insigne animi Tui ornamentum, relucet: hanc Quæstionem de Transactionibus criminum studiosè, vel impetu, vel præter intentionẽ, admissorum, consecrandam decreui: vel eo potissimum nomine, quod à serijs Tuis, & grauissimis negotijs, aliquid otij nactus, tua dexteritate ac prudentia Heroica, hoc vnum expetis, vt homines cuiuscunq; status & conditionis fuerint, in pace & tranquillitate vitam iucundam ac beatam agant, æternęq; illius beatitudinis, similitudinem quandam, quantum fieri potest, in vita & moribus exprimant. His accessit & singularis amor, præcipuáq; in nostram facultatem Iuridicam, eiúsque antecessores ornandos, cura & solicitudo. Vt interim taceam, quod egenis iuuenibus in Academia nostra studijs literarum operam nauantibus sis Mecœnas & Patronus liberalissimus. Accipe igitur vultu sereno hilariq; fronte à me Iurisprudentię minimo Professore quod offero munusculum, exiguum quidem, si Tua Amplissima attendatur Magnitudo, maximum tamen, si mei animi consideretur propensio. Quam Deus Omnipotens gratiæ suæ thesauris, in dies accumulet ex animo cupio: méq; in numero suorum clientum habere velit, etiam atq; etiam rogo. Datum è Contubernio Iurisperitorum, 1. die Mensis Februarij.*

Admodum Reueren: & Illustris Domin: Vestræ
æternum deuotus
Cliens,
M. Stanislaus Pomorski, Contubernij
Jurisp. Senior.

QVÆSTIO

Ad c. Ex parte

EXT: DE TRANSACTIONIBVS

juncta L. Transigere. Cod. eodem.

V. Transactio in Criminibus pro quibus infertur poena sanguinis, non autem pro leuioribus: antequám in Iudicium deferantur, etiam cum tertio causam habente facta, valeat, necne?

CONCLVSIO I.

Transactio locum habet in omnibus Criminibus propter quæ irrogatur pœna sanguinis.

COROLLARIA.

1. *Transigens super Crimine pœnam sanguinis inferente, non habetur pro confesso.*
2. *In Criminalibus Transactione interueniente, non minùs reus absoluitur, quàm in Ciuilibus, liberaturq; ab impetitione Actoris.*
3. *Qui transigit pro crimine infamiam merente, infamatur transigendo.*
4. *Licitum est Iudici inducere partes ad transigendum, maximè verò eam, quæ offensa est.*
5. *Si statuto decernatur lucrum accusatori, & ille transigat, manifestum est eum lucrum non aquirere.*

CONCLVSIO II.

In Criminibus quibus mitior pœna quàm sanguinis irrogatur, Trans-

actio

actio non valet.

COROLLARIA.

1. *Iure Canonico quemadmodum nunquam pœna capitis criminibus imponitur, ita rarissimè de illis transigitur.*
2. *De Crimine falsi non transigitur, dato, quod non inferatur pro eo pœna mortis.*
3. *Si pro crimine inferatur pœna fustigationis, carceris, diminutionis capitis, dignitatis, transigere non permittitur.*
4. *Adulterium quantumuis compensatione tollatur; transactione illud tolli, & absurdum et ridiculum est.*
5. *Mutilationem membri, morti & sanguini æquiparamus; hinc est quod eam transactione redimi posse, citra omne dubium asseramus.*

CONCLVSIO III.

Stricto Iure loquendo non valet transactio antequam lis super crimine, vel accusatio instituta fuerit.

COROLLARIA.

1. *Vbi accusatio instituitur secundum interesse partis, Transactione aufertur Ius agendi: secus autem in Criminalibus, in quibus Iudex ex officio procedit.*
2. *Non solùm ante litem inchoatam sed post finitam, si res Iudicata sit pro Reo eo ignorante, & Actor Transactionem conficiat, invalidam eam asserimus.*
3. *Nedum autem Transactio valebit hîc concepta in Forma Transactionis, sed ne quidem si per modum nudi pacti concipiatur, cum lis est finita in fauorem Rei ignorantis.*
4. *Siue ante rem Iudicatam siue post, non transigit Accusator de interesse tertij, quo minûs interessatus experiri valeat contra accusatum.*
5. *Facta pace de Iniuria non videtur includi satisfactio pro damnis & interesse.*

CONCLVSIO IV.

Transactio principaliter facienda est cum eo, qui offensus est, defectu autem vel morte ipsius, cum tertio causam

causam habente, & interessato.

COROLLARIA.

1. *Pro iniuria facta filio, potest transigere pater, maximè si filius fuerit in potestate patris.*
2. *Tutor pro pupillo in casu nostro non aliâs validè transiget, nisi Transactionem in euidentem pupilli vtilitatem cessisse demonstrauerit.*
3. *Loquendo secundum æquitatem, si vulneratus transegerit, postea verò ex vulnere decedat, Transactionem inualidam putamus, relicto tamen statutis loco suo & vigore.*
4. *In defectu hæredum pro Transactione recurrendum, est ad Principem: ille tamen regulariter non aufert ius agendi hæredibus, si postmodum apparuerint.*
5. *Remittens in Foro conscientiæ, non impeditur, quo minùs in Foro Exteriori Iure valeat experiri.*



Sub felicibus auſpicijs Admodum R̄ndi P. ac Magnifici Domini, M. IACOBI IANIDLOVII I. V. Doctoris & Profeſſoris, Protonotarij Apoſtol. Canonici Sądecen. Vniuerſitatis Cracouien. Procancellarij, ac Generalis

RECTORIS.